

Freiburg

Augustat

AB

1807





- 002
- a. l. 1639
- 1 Dissertationes de Caroligis facultatis Rintel.  
 in Episcopi in Wittm. Theol. Rint.
  - 2 Consensus repetitus fidei verae Lutheranae  
 in 88 punctis q. 9 Aug. Conf. a. G. Calix.  
 impugn. vindicatus ab Aegid. Brunius.
  - 3 Responsiones ad theses Antisyneret. J. Fr. Calix.  
 Witt. 1668.
  - 4 Collegium disputat. q. versiar. quae in gratiam  
 Syncretismi ab Arminianis, Pont. Calv. et Novato  
 ribus Syncretistis mota sunt: habitum sub  
 praesidio Abrah. Calovij Witt. 1667.
  - 5 Castigatio absurdae novitatis q. esse Deum, eumq.  
 esse unum sint verissimi fidei Articuli asserta a  
 D. Joh. Dantsinger, Fr. Mr. Calix. Helm. 1667.
  - 6 Speculum propinquitatis conjugalis sive  
 legis divinae de nunquam gherendo matrimonii  
 cum sorore uxoris. Berol. 1656  
 M. Matth. Bugari.

#5) Arminij, dialogus etc.

7

P. VII. 88.





6  
FRIDERICI VLRICI CALIXTI  
S. TH. D. ET IN ACAD. IULIA  
PROFES. ORDIN. SENATVS ECCLES.  
GVELFERB. C.

# CASTIGATIO

ABSVRDÆ NOVITATIS

QVOD  
ESSE DEVM

cundemque esse

VNVM

sine

*Verissimi Fidei articuli*

imò

*Mysteria Fidei,*

*Affectæ*

à

D. JOHANNNE Deutschmann Theologo  
& Professore Wittebergense

DISPVATIONE

DE

## DEO VNVO

Habita Wittebergæ Mense

Iunio proximè elapso.

•••(O)•••

HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

excudit HENNINGVS MULLERVS

ACAD. TYPOGR.

---

CID ID C LXVII





FRIDERICI VIATICI CALIXTI

S. TH. D. ET IN ACAD. JULIA

PROF. ORDIN. SENATUS ECCLES.

GUELTER. C.

CASSTIGATIO

ABSVARDE NOVITATIS

QVOD

ESSE DEVM

enudatque esse

VNVM

hic

Venerabili Fratri artium

magistro

Magistro Fratri

Artium

D. JOHANNI GÜNTHERMANN THEOLOGO

Magistro & Professore

DISSENTATIONE

DE

DEO VNICO

Habitu Wittenbergensi

hinc proximo scripta

Wittenbergi

HELMSTADII

In THEOPHILICO GYMNASIO

excudit HENNINGVS MULLERVS

Acad. Typogr.

CICERO LAVIA







I  
Articulus Augustanæ Confessionis

PRIMVS

*Cum*

VINDICIIS

PRO

D. GEORGIO CALIXTO & D. CONRADO HORNEIO  
contra nuperum quendam  
Vicilitigatorem.

**E**cclesiæ magno consensu apud nos  
docent, Decretum Nicenæ Synodi,  
de unitate essentiæ Divinæ & de tri-  
bus personis, verum & sine ulla du-  
bitatione credendum esse. Videlicet, quod sit  
una essentia Divina, quæ & appellatur & est Deus,  
æternus, incorporeus, impartibilis, immensa po-  
tentia, sapientia, bonitate, creator & conserva-  
tor omnium rerum, visibilium & invisibiliû, &  
tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ, & po-  
tentia, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus san-  
ctus.

A

ctus.



etus. Et nomine personæ utuntur ea significati-  
one, quâ usi sunt in hac causâ Scriptores Ecclesi-  
astici, ut significet non partem aut qualitatem  
in alio, sed quod propriè subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc arti-  
culum exortas, ut Manichæos, qui duo principia  
ponebant, Bonum & malum. Item Valenti-  
nianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas, &  
omnes horum similes. Damnant & Samosate-  
nos, veteres & neotericos, qui cum tantum unâ  
personam esse contendant, de Verbo & de Spiri-  
tu sancto astutè & impiè rhetoricantur, quod  
non sint personæ distinctæ, sed quod Verbum si-  
gnificet verbum vocale, & spiritus motum in  
rebus creatum.

II. Bipartitus est hic Articulus. Constat enim primò  
Thesi, deinde Antithesi. Prior pars seu Thesis, bimebris  
rursus est. Confiteatur enim primùm essentiæ Divinæ Vnita-  
tem, unâ cum alijs quibusdam Attributis. Deinde persona-  
rum in eadem Trinitatem asserit.

III. Vnitatem essentiæ Divinæ, sicut etiam alia attribu-  
ta ibidem recitata S. Scriptura clarissimè & frequenter incul-  
cat. Et quidem de *Dei Vnitate* tam Veteris quàm Novi Testa-  
menti loca passim sunt obvia & nota. Deuter. vi, 4. *Audi Israël,*  
*Dominus Deus noster Iehova unus est*, Esaia xli, 4; *Ego Dominus*  
*primus & novissimus*. Capite sequente, vers. 8; *Ego Dominus, hoc*  
*est ver-*



*est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Cap. XLIII, 10.  
Ego ipse sum, ante me non est formatus Deus, & post me non erit.  
XLIV, 24. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos solus,  
dilatans terram, & nullus mecum. I Cor. IIX, 5. Etsi sunt qui di-  
cantur Dii, sive in caelo sive in terra, (sicut sunt Dij multi, & Do-  
mini multi) nobis tamen unus est Deus. Ephes. IV, 6. Unus Domi-  
nus, una fides, unum baptisma, unus Deus &c.*

IV. Ex rationis lumine eandem Dei unitatem probant The-  
ologi. è quibus videri potest D. Albertus Gravverus Quæst. Il-  
lustr. Disp. II, quæstione I, ubi aliquot argumentis hanc causam  
agit. Nimirum quod sit Deus, quod unus, bonus, justus, ve-  
rax, omnipotens sit, etiam naturaliter scire potuerunt gen-  
tes, primum ex testimonio cordis, & operibus conscientiae,  
quæ quum ob malefacta accusat, terret & flagellat hominem,  
testatur sanè Deum esse qui juste judicet & peccata aversetur.  
Deinde ex operibus creationis, quæ de præclaro rerum omni-  
um opifice testantur. Quâ de re Scriptura quoque loquitur  
Rom. I, 19, & Actor. XIV, 17. In eundem quoque scopum col-  
limantia argumenta, è naturæ principijs, eleganter, pro sua  
quâ pollet dicendi facultate, deduxit & proposuit, Justus  
Lipius, (ut plures nunc taceam) Epistolâ ad Hieronymum  
Berchemium.

V. Est quidem cognitio illa valdè languida & imperfe-  
cta, unde nec salutaris esse potest; interim tamen *Veri* Dei est  
cognitio, licet non omnes quæstiones de vero Deo comple-  
ctatur. *Quod & Qualis* sit Deus ex lumine naturæ ex parte con-  
stant: sed *Quid* sit, nimirum Pater, Filius & Spiritus sanctus,  
solummodo ex revelatione Scripturæ discitur.

VI. Dico naturalem illam gentilium de Deo cognitio-  
nem *veram* esse, non quidem ut *verum* idem mihi hîc sit quod  
salutare: sed vera dicitur quia est certa ac cum re cognita con-



gruens, ut, quum cognoverunt Deum esse omnipotentem, veracem, justum &c. veram utique cognitionem Dei habuerunt, quia illa omnia quæ de Deo statuerunt, vera sunt, & hanc veritatem D. Paulus ipsis tribuit, dum ait, ipsos *veritatem in injustitiâ detinuisse* Rom. 1, 18, quod factum est in falsa illa applicatione verorum conceptuum, dum videlicet ea quæ vero Deo competunt, creaturis tribuerunt ut versu 23. explicatur.

VII. Nequaquam etiam conceptus modo dicti gentilium de Deo, fuerunt conceptus *Idoli* alicujus, sed *veri Dei*. Satis hoc inde constat; (1) quod Athenienses *ignotum Deum* colentes, illum ipsum Deum coluisse dicuntur, quem Paulus ipse postea prædicavit, ut habetur expresse Act. xvii, 23. (2) Quod illam de Deo cognitionem, *Deus* ipse gentilibus *manifestavit*, Rom. 1, 19, 20. (3) Quia propter hunc de Deo conceptum gentes dicuntur *ἀναπολόγητοι* (quod Deum à sese cognitum non *glorificaverint*, Rom. 1, 20) propter conceptum autem de *Idolo* tales dici non possent. (4) Quia de *Idolis* dici non potest, quod creaverint cælum & terram, quod bona, justa, casta sint, quales conceptus de Deo gentiles habuerunt, sed soli vero Deo competunt. Relinquitur ergo gentiles aliqualem cognitionem non *Idoli* sed *veri Dei* habuisse. Et hæc argumenta omnia sunt D. Friderici Balduini, Casuum Conscientiæ Lib. 11, cap. 1. Casu x. Benè doctissimus vir Albertus Gravverus, libello de simplici & una veritate pag. 39. edit. Jen. M DC XXVI. *Non omnis imperfecta cognitio est falsa. Imperfecta fuit cognitio Ethnicorum quâ sciverunt Deum esse, Deum esse VNUM, non tamen propterea falsa.*

IIIX. Porro digna sunt quæ hic adferantur verba D. Joh. Gerhardi Methodo studij Theologici paginâ. 101. *Sunt duo genera questionum in Theologia. Quædam concernunt summa si deis*



3.  
fidei mysteria, supra omnem caprum humanationis posita. Tales  
sunt mysterium Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis &c. Quaedam  
verò ita comparata sunt, ut ad aliqualem earum notitiam intellectus  
humani assurgere possit per *νοησὶς ἐννοίας*, & discursum ex inspectione  
creaturarum deductum utpote, esse Deum, esse ipsum bonum, justum, ac  
scelerum vindicem. Illa dicuntur propriè *ἠσὶ*, hæc *ἐπισητά*. Quæ  
naturaliter de Deo cognosci possunt, eatenus propriè fidei articuli non  
sunt, quia **ARTICULI FIDEI non sunt NATURA NO-**  
**TI, neque COLLIGUNTUR EX NATURA NOTIS** sed  
sunt aut principia Divinitus revelata, vel conclusiones ex iis de-  
ductæ. Hæc ita optimè Gerhardus. Congruum his est quod D.  
Balthasar Meisnerus Philosophiæ sobriæ ut vocat, parte I,  
pag. 38, 39, *rationem & fidem, cuius (posterioris) objectum arti-*  
*culi sunt simplices non mixti* diligenter inter se distinguit: & in  
in margine hæc adscribit, *Articulos fidei duplices esse dicunt Theo-*  
*logi: alii nominari possunt simplices, qui tantum in scriptura reve-*  
*lantur: alii mixti, qui partim per Scripturam, partim per rationis*  
*principia innotescunt.* Imitatus ista est ipse D. Calovius *Syste-*  
*mat. Locor. Theolog. inchoati de Articulis fidei cap. v. p.*  
*773; Articuli fidei, inquit, alii sunt puri alii mixti. Illi ex*  
*SOLO Dei verbo petuntur, & TANTVM creduntur, hi etsi ratione*  
*(ex rationis lumine) aliquo modo constant, creduntur tamen solum,*  
*quatenus ex Scripturis exstant (credo voluisse dicere, quatenus*  
*in Scripturis exstant.)* Hactenus Calovius. Quæ itaq; ex lumi-  
ne rationis innotescunt, non sunt *Articuli fidei* propriè & sim-  
pliciter dicti. Nam *articuli fidei* propriè & simpliciter dicti & sine  
apposito tales, planè non sunt *natura noti* neque colliguntur ex *natu-*  
*ra notis: ἠσὶ* sunt non *ἐπισητά* ut rectissime dixit Gerhardus.

IX. Sed audiamus etiam D. Albertum Gravverum, li-  
bello de simplici & unâ veritate Numero IV. *Distinguendæ*  
*sunt res ipsæ quæ cognoscuntur, & quarum cognitionem inquirimus.*



Quaedam sunt mera revelationis, quæ non nisi ex patefactione singulari Divinâ sunt nota, ac articuli fidei de Trinitate, Incarnatione, Iustificazione &c. & hæc ratio humana, quapropter & Philosophia ignorat. Quaedam verò non sunt mera revelationis, sed etiam natura quodammodo nota, ut sunt principia naturalia nobis eum natura, totum esse majus qualibet sui parte; Bis quatuor esse octo; Causam non esse posteriorem effectui: item præcepta Decalogi. Voluit autem Deus accedere vocem suam, ut ostenderet illas ipsas naturales notitias à sese mentibus nostris inditas esse, & legem novo testimonio sanciret. Ac bonæ menti grata est confirmatio veritatis, ubi intelligit ad naturalem notitiam accessisse cœlestem vocem. Ratio deprehendit terram stare immotam, & solem moveri, sed cum idem divinitus esse traditum audimus firmitus assentimur. Desumpsit è Dialecticæ Philippæ Lib. iv. p. 241.

X. Gravverianæ seu Philippæ potius distinctioni gemina est illa, quam posuit Parens meus beatæ recordationis, D. GEORGIVS CALIXTVS Apparatus Theologici p. 156. Hic ubi opus est aut res fert, utile est ostendi quid ex lumine naturæ ostendi possit, verbi gratia in doctrina de Immortalitate animæ; de Resurrectione carnis; de Deo & attributis Divinis; de Creatione & Providentiâ, nempe ut appareat discrimen inter ea quæ sunt mera & pura fidei, sive de quibus nihil omnino rationi sibi relicta per lumen naturæ constat aut constare potest, & ea quæ non sunt pura & mera fidei, sive ad quarum aliquam cognitionem ratio sibi relicta per lumen naturæ potest pervenire. In idem scilicet recidunt, ut quilibet videt, quædam dogmata Theologica esse mera revelationis & non-mera revelationis sicut Gravverus, vel, sicut ipse Calovius loquitur, Articulos fidei alios esse puros, alios mixtos: item quædam dogmata Theologica esse pura & mera fidei, quædam non esse pura & mera fidei. Et, quod Gravverus dicebat bonæ menti gratam esse confirmationem veritatis, quando intelligat  
ad



ad naturalem notitiam accessisse caelestem vocem: hujus simile pariter scribit Parens meus Parte I. Responsi Moguntinis oppositi Num. LXXIII initio, ubi sic est loquutus, *Nempe Divina peculiaris revelatio de mediis ad salutem nostram facientibus SUPPONIT quae ex lumine natura sive de Deo & attributis Divinis sive de praeceptis moralibus (quae posteriora Gravverus in exemplum adducebat) cognosci possunt; & cum his etiam ita complicatur, ut sine eis plenè exponi nequeat. Quin & imbecillitati humana subvenitur & consulitur, dum per Scripturas explicantur & inculcantur illa, quae absolute quidem sine Scripturis agnosci possent, à plurimis tamen, quae est eorum in excolendo natura lumine negligentia, abque Scripturarum ductu & adminiculo non cognoscerentur.*

XI. Haec quàm sunt vera & manifesta, atque ab omnibus paulò eruditioribus haftenus recepta, tam sunt inaudita, inepta & absurda, quae nuperus vitiligator, gener Calovianus, *Vir Maximè Reverendus* (titulos enim homini non invidimus) *Amplissimus atque Excellentissimus, Dn. JOHANNES Deutschmann S.S. Theologiae D. ejusdemque Professor Publicus celeberrimus, Alumnorum Elector. Ephorus gravissimus; Patriarchae calumniantium, Soceri sui, vanus hyperassistes, Wittebergae in Disputatione de Deo Vno Mense Junio anni hujus M DC LXXII habita, Thesi XII, promulgavit, ista capita de existentia Dei, unitate essentia Divina &c. esse VEROS articulos fidei, non, ALIQUO MODO pertinere ad fidem; item, eadem Thesi, doctrinam de unitate essentia Divina, VERISSIMUM MYSTERIUM esse (risum teneatis amici!) Et tertiâ vice, doctrinam de Vno Deo, FIDEI Christianae VERVM ARTICULVM esse, inò MYSTERIUM esse Th. XIII initio. Sed ipsam totam hominis Camarinam (sic enim ei de meis loqui placuit) in medium afferemus, Lectorem eruditum prius rogantes, ne ejus graveolentiâ à legendo avertatur.*

CAMA.



## CAMARINA TEVTOMANNIANA.

Hæc ita recitare volumus, quia coram Eruditis eadem recitasse, est refutasse, cum nihil solidioris *Apologias*, pro *Syncretistarum*, modernorum Patriarchis, hyperaspites vanus afferre potuerit, ut hic verè valeat illud: *Causa patrocini non bona peior erit.* Sive proinde proprio, sive, quod fama publica fert, alieno ararit vitulo, nihil tamen contra solidam veritatem Consensus obtinere potuit. Nos hic pluribus camarinam illam movere nolumus, summa saltim capita brevissimis indicabimus. (1) πρώτον Ἰεῦδ & Calixtinorum est, doctrinam de *Existencia*, unitate *Essentie Dei* &c. quatenus ex natura constat, & quatenus ex scriptura patet, prorsus eodem modo se habere: hinc jam olim uterque Calixtus patrocinium & *Iudeorum*, & *Muhammedanorum*, & *Gentium*, suscepit, eosque ab idololatria alienos pronunciavit. Verum publica *Symbole* docent aliud, quod unitas Dei revelata, non sit absoluta, vel merè naturalis, sed vere relata & supernaturalis. Hinc credimus juxta *Symb. Apost.* in Deum, videl. unum, qui sit Pater. F. & Sp. S. & juxta *Symb. Athanas.* Fides Catholica de uno Deo hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. (2) *Objecta scientie* perperam cum *objectis fidei* confunduntur, cum formale potissimum sit attendendum. Theologus, qua talis, non *objecta philosophica* tractat, quatenus per scientiam cognoscuntur: sic enim eadem præsupponit: sed hæc, ut *objecta Theologica*, probat, quatenus per fidem apprehenduntur, & eatenus eadem non supponit, sed ut *objecta propria* tradit. (3) Falsum, quod *A.C. Apologia*, & *Catech. Maior. ll. dd.* non doceant, teneri Theologum ex scriptura probare Dei *Existentiam*, & reliqua attributa: nam *Ecclesie nostre* (non per rusticos, sed per Theologos Confer. præf. S. Cum igitur:) magno consensu docent (vid. doctrinam hanc non ex lumine rationis cum Scholasticis præsupponendo, sed ex scripturis sanctis & puro verbo Dei tradendis, tractando ibid.) *Decretum Nicene synodi*, de Unitate essentie divine, & de tribus personis, verum, & sine ulla dubitatione credendum esse, videl. quod sit una essentia divina, qua & appellatur, & est Deus aternus, incorporeus &c. hæc omnia docent, non philosophi, sed *Ecclesia*, non ex natura, sed ex scriptura, non sine probatione rudioribus hæc doctrinæ capita obtrudendo, sed eadem, mediantibus solidis probationibus, ex scripturâ deducendo, s. demonstrando, Verba *Cateches.*



*Cateches. Maior. p. 502.* maximè quoque clara sunt: *Ecce hoc loco* (nisi in Apostolico symbolo) *totam divinitatis essentiam, voluntatem & operationem, verbis equidem admodum brevibus, attamen opulenti & fecundis, artificiosè depictam habes, in quibus omnis nostra sapientia sita est, OMNEM HUMANAM SAPIENTIAM, RATIONEM ac SENSUM* (ac proinde scientiam omnem naturalem) *longe lateque excedens, ac superans. Nam universus mundus, quanquam sedula per investigatione jam inde ab initio elaboravit Quidnam Deus esset, aut quid haberet animi, seu cui operi intentus esset, NIHIL tamè HARUM RERVM UNQVAM INTEL- LIGENTIA, vel RATIONE, assequi potuit: hic verò omnia hac copiosissime in momento habes &c. Sic p. 503. Hi articuli nostrae fidei nos Christianos ab omnibus aliis, qui sunt in terris, hominibus separant &c. Ibid. 6. Ex hoc: Ceterum fides nulli humana sapientia est comprehensibilis, sed à solo Spiritu S. tradenda & docenda est. Ut autem à Spiritu Sancto fides docetur atque traditur, sic etiam à Theologo demonstratur atque probatur, hinc Theologus ex scriptura, juxta Confess. August. Apolog. Catech. Maior. & omnia reliqua Symbola, Dei Existentiam, Unitatem & attributa, probare tenetur. (4) Probare tenetur Theologus de Deo, quae ex lumine naturæ aliàs innotescunt, sed non quatenus ex lumine naturæ innotescunt. (5) Contra clarissimam literam negat, D. Georgium Calixtum statuere, non debere à Theologo probari, & quod sit Deus, & ea, quae dixit, attributa. Conf. verba th. 9. citata: hæc enim capita dicuntur (a) Philosophia conclusa, non Theologia mysteria: (b) HVIVSMODI MISSA FACIT Theologus, (c) ea PRÆSVPPONIT, vel tantum ea (d) TANQVAM in inferioribus disciplinis tractata & demonstrata adsumit, & TANTVM (e) ex propriis, sibi que peculiaribus principiis, nim. divinis literis, (NB non hæc adducta, sed alia, videl. TANTVM) EA persequitur, quae alioquin ingenio humano incognita forent & impervia. (6) Falsum, (a) quod Theologus Existentiam Dei, unitatem Essentia, & alia tantum probare possit: non est res arbitrii, sed debiti officii, non libertatis, sed necessitatis: (b) quod probatione talium opus ei non sit, sed ea supersedere possit: ut enim reliquos articulos fidei sine probationibus Theologus dimittere non potest; sic etiam in his opus est probationibus, non rationis, sed divina revelationis, quibus supersedere nullo modo potest, si veri Theologi partes adimplere*

B velit



Velit (c) quod ad Theologiam accedens, cognitionem istam secum afferat  
 ut pote in inferioribus disciplinis, quæ talia tractent & demonstrent, a. quisi-  
 tam: nam cognitio Dei philosophica & Theologica toto genere distant,  
 cum illa sit rationis, hæc revelationis, illa natura, hæc scriptura, illa sci-  
 entia humana, hæc fidei divina, illa propria philosopho, hæc propria Theo-  
 logo &c. quæ certe confundenda non sunt, ut Calixti, vel Calixtini  
 volunt. (7) Falsum, quod aliquo modo ad fidem pertinere, & articulum  
 esse fidei, sint *ισοδυναμῶντα*, quæ Theologia Calixti pro equipollentibus ven-  
 ditat. (8) Ista capita de *Existentia Dei, Unitate essentia Dei &c.* sunt  
 veri articuli fidei, non *ALIOVO MODO* ad fidem pertinent Conf. Heb.  
*XI. 6. Deut. VI, 4. &c.* (9) Distinctio inter articulos mera, puraque fidei,  
 & non mera puraque fidei, frustra hic obtenditur, quia cum verbis exclu-  
 sivis Calixti consistere nequit. (10) Quod sibi Calixtus Senior non con-  
 stet, & alibi diversum doceat, illud cum *Hereticis & Novatoribus ali-*  
*is*, veritatem cœlestem oppugnantibus & detorquentibus, commu-  
 ne habet potissimum attendendum, quid in propria sede; in cursu  
 Theologia didactico, *θεμῶν* aliquis afferat: Sic D. Georgius Calixtus in E-  
 pit. Theol. D. Horneius in *Compend. Theol.* & alibi doctrinam hanc asse-  
 ruerunt. (11) Falsum, quod Dn. D. Meisnerus l. d. cum D. Calixto con-  
 fentiat, cum potius eidem directè contradicat. *Materiale*, l. *remoti-*  
*um thesæos membrum* allegat *Censör*, *formale*, l. *positivum* resecat, ut ma-  
 litiosi *sophista* partes adimplere queat. *Integra verba* sic habent: *Ob-*  
*iectum Theologie primarium, & suo modo adequatum est Deus, NON ut*  
*ex natura principis cognoscitur, aut naturaliter notus supponitur: hæc enim*  
*cognitio nec salutaris est, nec pars fidei salvifica; sed PROVT ex revelatione*  
*supernaturali innotescit, & FIDE divina creditur Ioh. I. 18. XVII, 3.* Si La-  
 tina Calixtus intelligit, si pariter inter *removenda & assumenda* distin-  
 guere didicit, ex plenis adductis verbis jam videbit, *erroneam D.*  
*Calixti & Hornei sententiam* hic à Dn. D. Meisnero rejectam, & oppo-  
 sitam veram sententiam assertam fuisse, nim. *Obiectum Theologie pri-*  
*marium*, quatenus tale, *Deum non ex natura lumine hic colligi, non ex*  
*Philosophia hic supponi* (naturalis enim cognitio Philosopho relinqui-  
 tur, & extra Theologiam proponitur atque supponitur) sed potius  
*hic obiectum Theologie Deum ex supernaturali revelatione proponi, fide di-*  
*vina credi, & ex scriptura probari, cujus gratia dicta Biblica citantur.*  
 (12) Ea-



(12) Eadem, & non alia *Dn. D. Calovii*, & omnium orthodoxorum essentia, quæ pariter *librorum Symbolicorum* doctrina, sicut antea notatum (13) Quæ post hæc urget, & *pōter* *Jeūd* & *Calixtinum* sapiunt, de quo *num. 1.* Si *Calixtus* didicerit, *Deum Vnitinum*, & unum in *Trinitate*, *Trinum in unitate* confitendum esse, *Decretum Nicene synodi*, vel *Obiectum art. 1. A. C.* in hoc passu, ex æquo verum, & sine ulla dubitatione *CRENDVM* dici, doctrinam *Ecclesie*, de *Vnitate Essentie divinae* verissimum mysterium esse, philosophicam notitiam de *Deo*, & fidem *Ecclesie*, toto genere distare, &c. facile nobis in omnibus consentiet, & falsam sententiam *Parentis sui* missam faciet. (14) Quod attinet *D. Horneum*, ille non tantum *l. cit.* sed etiam aliàs ea pro *suppositis* venditat. Vid. *Compend. Th. l. 1. c. 2.* adeoque ex constanti sententia æstimandus venit. Confer. ea, quæ *l. d. disp. 3. sect. 1. th. 2. exegetico* loco adjiciuntur. *th. 7.* totus contextus inspiciatur, & res omnis erit in vado: nam & hic (a) supponit ea, tanquam ex lumine naturæ à *Theologis assumta*, esse habenda *th. 5.* (b) quod scriptura nec omnia, nec ea, quæ tangit, perfecte tradat *th. 6.* (c) *th. 7.* magis ex aliorum sententia, quem ex sua movet objectionem: Quod si *QVIS* hic dicat, quæ verbo *divino* revelantur, ita ut salutem omnibus creditu necessaria sint, articulos fidei esse, hos autem naturaliter innotescere, aut demonstrari non posse. (d) primo, & qs. principaliter respondet cum *Thoma*, quod naturaliter de *Deo* notata sic ad fidem referantur, non ut proprie articuli fidei sint, sed ut articulo- rum illorum proæmia, vel præambula: sicut enim gratia omnis præsupponit naturam, sic & fides, seu cognitio, gratia notitiam illam naturalem? Addit suam epiclesin: Nec dubitari potest, ut fides *PROPRIE* eorum tantum est, quæ creduntur, & non sciuntur ita, etiã articulos fidei *PROPRIE* esse, qui sic in verbo revelantur, ut aliunde & ex natura non innotescunt. (e) post illa verba sequuntur, quæ à *juniore Calixto* Consensui sunt opposita, quæque magis aliorum quam *Hornei* sententiam præ se ferunt, & quid dici possit, non autem quid verè dici debeat, proferunt, (f) *th. 8.* insuper addit, quod propter doctrinam de *Trinitate* cognitio *Dei* *PROPRIE* revelata dicatur, & *SOLA* salutaris sit: *SOLA* enim ad aeternam vitam perducit. Ex quibus & aliis apparet, nullam vel *D. Horneo*, vel *D. Calixto*, factam esse injuriam. (15) ad alterum monitum, saltem *dist.* interpretationem & mutilationem sensus & textus: huius propter illius illustrationem



strationem, & pleniorē explicationem, mutatio nonquam *necessaria* sed *illius* vel *mutatio*, vel *mutilatio*, neutiqum concedenda. *Theologia rerum & mysteriorum* est, non autem *verborum*. Plura nunc addere non licet.

XII. Habes Lector *Camarinam* Calovio Deutschmannianam, quam nunc, quia ita volentejus vectores, ingrata licet operā, nonnihil *movere* oportet. Sequar autem distributionem exceptionum ad numeros factam, qualem Deutschmannus præivit. In antecessum calumniam retundere debebam quod vitiligatorem scribere non puduit, *famam publicam ferre, me alieno crasse vitulo*. Sed non opus hîc est verbis. Si famæ publicæ credendum est, facilè mihi erit compensare injuriam dicendo cum Poëta,

*Mutato nomine de Te fabula narratur.*

Fama enim publica dudum tulit, Generum calidâ Soceri vitulâ nunquam non solere arare. Hac itaque calumnia dimissa, ad rem accedo & dico ita.

Ad (1)

Cupiam mihi monstrari quale sit illud *ψεύδος* si quis statuat *doctrinam de Existentiâ & unitate Essentia Dei &c. quatenus ex natura constat, & quatenus ex Scripturâ patet, prorsus eodem modo se habere*. Ergone *Existentiâ Dei*, ejusdemque *Unitas* quam docet ratio, ab *Existentiâ & Unitate Dei* quam docet revelatio est diversa? An forte in mente ipsi est *Unitas* alia Philosophica, alia Theologica? Explicet hoc *Mysterium*, nam ego illud hætenus non capio, sed existimo unius ejusdemque rei semper & ubique eandem esse rationem formalem. Quod si *& Iudaorum, & Muhammedanorum & Gentium Patronus* per Calovianam calumniam meretur appellari, qui asserit hos *verum Deum* agnovisse, & eo usque *ab idololatriâ alienos* propronunciat; poterunt Socer Generque simili modo non tantum B. Lutherum & D. Balduinum, sed ipsum quocumque *Apostolum Paulum* calumni-



calumniari. Etenim non credo alium quam verum Deum hunc intellexisse, quando ad Rom. 1, 21 Gentes Deum cognovisse affirmat. Et Lutherus noster Catechismo Maj. ad Art. III Symboli Apostolici pag. 503. apertè hunc in modum scripsit: *Quicumque extra Christianitatem sunt, sive Gentiles, sive Turca, sive Judai, aut falsi etiam Christiani & hypocrita, quanquam VNVM TANTVM VERVM DEVM esse credant & invocent, neque tamen certum habent, quo erga eos animatus sit animo &c.* Sed fortassi hi Duumviri, & hæc Lutheri verba, more Scharfiano, esse corrigenda pronunciabunt. Balduini sententiam & argumenta oculis exposui Numero præcedente VII, legat ea rixator, & saniora quam à virulento Socero accepit, inde perdiscat. Sed pergit tamen Gener, *publica Symbola docent aliud.* Quodnam verò aliud? quod unitas Dei relata non sit absoluta, vel mere naturalis, sed verè relata & supernaturalis. Hem novas distinctiones! Vbi verò illæ habentur in publicis Symbolis? Hactenus, nisi omnia me fallunt, *Unitas Dei inter attributa ejus absoluta est numerata.* Nunc *unitas Dei etiam verè relata* prodit. Oedipo hic opusest, qui exponat quomodo unitas Dei intelligenda verè relata & non absoluta; qui differentiam revelet inter *unitatem Dei naturalem & supernaturalem.* Fortassis in eo fundatur distinctio ista utraque, quod *juxta Symb. Apostolicum credimus in Deum videlicet unum, qui sit Pater, F. & Sp. S. & quod juxta Symb. Athanas. Fides Catholica de uno Deo hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.* Verùm quomodo unius individue Divinæ essentia in pluribus inter sese realiter distinctis personis existentia, & harum in ipsâ illâ essentiâ identificatio, ad unitatis conceptum pertinet? Etenim quando Deum ut unum concipio, tunc abstraheo ab omnibus quæ aliàs de Deo sunt revelata, & ad illa tantùm animùm adverto quæ præcisè unitatis conceptum ingrediuntur.





Formalis autem unitatis ratio absolvitur in negatione multitudinis, quod nempe Deus ita est unus, ut sit unicus sive unus tantum. Personarum igitur Trinitas, quum extra rationem unitatis sit constituta, hanc neque immutat neque aliam facit ab unitate quam rationis lumen docet, consistente nimirum in eo, quod existentiae Divinae nihil possit coexistere ejusdem cum ea rationis. Hanc Dei *Unitatem* docet revelatio, hanc eandem, nec aliam, docet recta ratio.

(2)

Quomodo *objecta scientiae* cum *objectis fidei* à DD. Calixto & Horneio sint confusa, & *confuderim ego*, idque ideò fecerim quod *formale potissimum hinc sit attendendum*, equidem non intelligo, nec satis, quid sibi velit Censor, assequor. Deum enim existere, Deum unum, imò unicum esse, & fide tenetur crediturque, & è principiis rationis evidens est & scitur. Est itaque utrumque horum & fidei, & naturalis de Deo scientiae objectum. Vtrumque ab homine Christiano ita creditur, ut simul quoque sciatur. Quid hic quaeso *confusionis* subest? *Formale* diversum quod hinc occurrit, est ipsum principium cognoscendi *sub quo* (Scholastici rationem formalem objectivam vocant) idque tam lumen rationis, quam auctoritas Dei in scripturâ proponentis. Sed *formale*, in hoc sensu, objectum ipsum quod cognoscitur, non diversificat, ut loquimur. Deum existere, Deum unum esse, hæc, inquam, aliter se non habent, sive ex principiis rationis evidenter sciantur, sive fide, propter auctoritatem Dei dicentis, etiam credantur.

(3.)

Minimè *falsum* sed *verissimum* est quod Aug. Conf. Apol. & Catech. Major Lutheri non doceant *Theologum TENERI* (ut Calovianus Consensus habet) *ex Scripturâ probare Dei existentiam & reliqua attributa*. Loca enim è quibus male

la



læ causæ patronus hoc ipsum exterebrare conatur, hoc tantum  
 indicant, *etiam* ex scripturâ & revelatione innotescere, & à  
 Christianis Dd. inculcari *Existentiâ & unitatem* Dei, idque  
 rectè & utiliter fieri, quod nemo nostrum unquam negavit.  
 Quod autem id TENEATUR Theologus facere, id ipsum in  
 nullis adductorum verborum, vel implicite assertitur. Pro-  
 voco ad *ἀποψίαν*. Et, si maximè in libris citatis diceretur TE-  
 NERI Theologum unitatem & existentiam Dei, & reliqua e-  
 jus attributa ex scripturâ probare, Calixtus tamen, Pater  
 meus, his ipsis nihil læderetur, quum ille nullibi contradicto-  
 rium, nempe, *Non teneri Theologum dicta attributa ex S. scri-  
 pturâ probare*, scripserit. Ad duo tamen loca, adsertionem  
 hanc, quod ita agere *teneatur* Theologus, probaturus, provo-  
 cat Advocatus Calovianus; ad Articulum nempe primum A.  
 C. & Cateches. Majoris Lutheri paginam 502. Verum perpe-  
 ram utrumque locum restringit ad *existentiâ & unitatis* Divinæ  
 cognitionem, quum utrobique non de iis tantum, agatur, sed  
 mysteria sapientiam & rationem humanam extra controver-  
 siam superantia, contextus isti includant. Priorem locum  
 quantum attinet, illum ego in Examine meo exposui, & quid  
 præter *existentiâ & unitatem* Dei sine ullâ dubitatione creden-  
 dum esse doceat Confessio, ostendi. Quæ quum Deutsch-  
 mannus non legerit tantum sed integra exscripserit, non tam  
 cæcitas quàm pertinacia hominis in iis quæ evertere non po-  
 terat acquiescere nolentis, accusanda fuerit. Culpam enim  
 Autori Consensus exprobratam, neque excusat neque emen-  
 dat, sed in ejus consortium potius venit, dum & ipse mutilatas  
 sententias profert, & suppressâ mysterij mentione, ea tantum  
 attributa Divina quæ tam rationis quàm revelationis lumine  
 innotescunt, *Ecclesias nostras magno consensu docere*, urget; atque  
 idiplum *non per rusticos sed per Theologos eas facere* addit. Equi-  
 dem



dem docendi munus in Ecclesiâ non rusticos sed Theologos obire non negavero, sed faciliè potius concessero, ijs præsertim qui inter rusticos & Theologos male interdum convenire, suo didicerunt damno. Nondum tamen video quomodo ex eo, quod *Ecclesia nostra non per rusticos, sed Theologos* doceant sequatur, omne illud quod docent Theologi, è solâ peculiaris modi revelatione eos docere, & quod nunquam mixtorum fidei articulorum probationem etiam è principijs naturaliter notis, vel ipsi habitu Philosophico deducant, vel ab alijs deductam præsupponant.

Par est ratio loci, quem è Catechismo Majori Lutheri pag. 502 satis prolixè exscripsit, & cujus verba aliqua, in quibus peculiarem vim ponere vellet, extantioribus literis excudi fecit. Illa enim ipsa quæ modo dictis literis majusculis expressa leguntur, præcisè ad *existentiam & unitatem* Dei rapi non possunt. Ita enim duo, (*existentiam & unitatem Dei*) *humanam rationem, sensum, intelligentiam, longè lateque excedere, & mundum NIHIL harum rerum (existentiæ & unitatis Dei) assequi posse*, si asseruisse contendatur Lutherus, pugnasset vir Beatus cum doctrinâ Pauli Rom. I. & cum ipsâ experienciâ. Pertinebunt itaque isthæc verba, à Defensore Caloviano grandioribus literis ostentata, ad illa præcedentia, quibus à B. Luthero dicitur, *hoc loco* (nimirum in Apostolico Symbolo) *totam Divinam essentiam VOLUNTATEM* (erga genus humanum videlicet) *OPERATIONEM*, *verbis admodum brevibus artificiosè depictam haberi*. Quibus ita monstratis, nemo non videt nullam omninò esse hanc consequentiam: Lutherus in Catech. Majori asserit, ipsam *TOTAM Divinam essentiam* ejus *voluntatem, ejus operationem, humanam sapientiam, rationem, sensum superare*; item. *Mundum nihil harum rerum ratione assequi posse*, Ergo Lutherus asserit, *existentiam & unitatem Dei*, quibus



*vera Divina essentia in esse completo non constituitur, TENETUR*  
 RITheologos è scripturâ probare,

(4)

Si Theologus ea quæ de Deo ex lumine natura aliàs innotescunt, probare tenetur, sed tamen NON (tenetur probare) quatenus ex lumine natura innotescunt; Ergo aliquo saltem modo ea quæ de Deo naturaliter innotescunt, (quæ sunt *existentia & unitas eius*) Theologus non tenetur probare. Quæcunque verò de existentia & unitate Dei in sese spectatis lumen naturæ docet, eadem, nec plura nec pauciora, de his ipsis in sese spectatis Scriptura docet. Vnde porro sequitur, eum qui admittit Theologum illa quæ de existentia & unitate Dei in sese spectatis, ex lumine naturæ innotescunt, non teneri probare *quatenus inde innotescunt*, eundem quoque admittere, Theologum non teneri probare ea quæ de iisdem è Scripturâ innotescunt. Sed prius facit pullus Calovianus; Ergo etiam posterius, & ita agens, sibi ipsi ineptè obloquitur. Ratio autem consequentiæ inde est manifesta, quod nempe *Existencia & Vnitas Dei* quando in se spectantur, *quatenus* sive in quantum è lumine natura innotescunt, eatenus sive in tantum è lumine quoque revelationis innotescant. Vel brevius; de *Existencia & Vnitate Dei* in sese (præcisâ personarum trinitate, quæ ad formale unitatis non spectat) consideratis, nihil amplius è Scripturâ quàm naturâ innotescit, nec prior è Scriptura hausta notitia posteriore, quam natura suppeditat, est locupletior. Adeoque hæc è diversis licet principijs innotescencia objecta, inter sese non differunt sed planè sunt eadem. Distinctio igitur *Existentiæ & Vnitatis Dei* in *Naturalem & Supernaturalem* vanissima est, nec locum habet ex parte objecti, quo ego respicio, licet cognoscendi principia sint distincta. Si tamen recens natam & olim inauditam distinctionem hanc, nihilominus tueri satagit litigator, ostendat

C

distia-



distinctionis fundamentum in ipsis objectis cognitis; ostendat, quid de Existentiâ & Unitate Dei in sese spectatis, doceat revelatio, quod non etiam doceat recta ratio; & quænam illa sint, quæ Philosophus non adiutus peculiaris modi revelatione de modo dictis assequi non valeat, sed Theologis tantum nota sint, demonstret. Personarum enim in Deo Trinitatem, non Philosophis quâ talibus, sed Theologis solum notam, extra rationem unitatis esse, nec hanc immutare, nec aliam illam facere ab eâ unitate quæ principijs rectæ rationis innititur & inde deducitur, supra aliquoties à me est occupatum & monitum.

(5 & 6.)

Insigne non erubescens impudentiæ specimen hîc edit Calovij promachus, quando *contra clarissimam literam* me negare affirmat, quod statuat D. Georgius Calixtus, **NON DEBERE à Theologo probari & quid sit Deus, & ea quæ dixerit attributa.** Ast quæro ego, cujus clarissimam literam intelligat? Calixti ipsius in Epitome, an Soceri sui, in Consensu, verba Epitomes, more consueto immutantis? Si prius asserit, impudense est, ut ipsa litera, mox bonâ fide à me producenda, docebit. Si posterius vult, verum quidem dicit, attamen ad rem nihil faciens. Neque enim diffiteor contra literam Calovianam, qualis ab ipso in Consensu adornata erat, & à Genero, sputa Soceri lingente, Numero Disputationis suæ ix repetita est, illud negasse, atque etiamnum negare me, impositâ scilicet per manifestam verborum B. Parentis mei corruptionem, negandi, & veritatem contra falsarios asserendi necessitate. Quam rem ut oculorum tuorum, Lector, arbitrio committam, ecce do tibi integrum Epitomes Parentis locum. *Quoniam verò Theologia (revelata) suprema est omnium disciplinarum, propterea præsupponit ea reliquas disciplinas, easq; cognitâ esse vult ab*



eo qui se Theologum profiteri cupit. De Deo itaque quoniam lumine rationis è rebus factis, Rom. I, 10, colligit & concludit Philosophia, quod sit, quod unus sit, infinite perfectus, bonus, sapiens, potens, sibi sufficiens &c. huiusmodi missa facit Theologus, sive, ut rectius loquar, præsupponit, tanquam in inferioribus disciplinis tractata & demonstrata & tantum ex propriis sibiq; peculiaribus principiis, nimirum Divinis literis, ea persequitur, quæ alioquin ingenio humano incognita forent & inpervia.

Ista sunt ibi integra Parentis mei verba, quæ omnia per complures annos cavillationem (etli aliàs non defuerint libelli illius obtrectatores) effugerunt, donec spiritus Calovianus in Ecclesiâ tumultuari inciperet. Primo autem meminerit velim novitius hic obtrectator, se verbis ad Numerum præcedentem à me repetitis concessisse, *Theologum teneri probare ea quæ de Deo ex lumine naturæ innotescunt, sed tamen non quatenus ex lumine naturæ innotescunt.* Quid hoc aliud est quàm quod *o maxime* ibi dixit, Theologum talia naturaliter de Deo nota, *missa facere, aut rectius, præsupponere tanquam in inferioribus lumine naturæ superstructis disciplinis tractata & demonstrata?* Si verò alibi jam tum tractata & demonstrata Theologiæ auditoribus sufficienter innotuerunt, quæ tanta necessitas est aliunde incumulum demonstrari? Præsertim quum existentia & unitatis Divinæ, de quibus modo quæstio est, in sese spectatorum, notitia, per alterum illud, nempe revelationis lumen nec aliter nec plenius demonstratur. Excipiet fortè, è revelationis tamen principio, rudioribus qui lumen naturæ ita non excoluerunt, ut demonstrationes è naturæ principiis deductas capere vel præsupponere possint, sapius dictas naturales de Deo notitias esse probandas. Sed ego de Theologo, dico, non tali, qui rudem plebeculam informet, sed illo ipso qui studiosam inventuram, Philosophiæ cognitionem ad





Theologiam adferentem erudiat. Parenti meo esse sermonem. Secundo igitur observari velim, loco Epitomes in controversiam vocato, vocem Theologi strictius, pro eo qui κατ' ἔξοχὴν ita dicitur accipi: pro eo inquam, qui, non ad principium Ethnicis cum Christianis commune evagetur, sed uti diserta verba habent, qui tantum ex propriis sibiq; peculiaribus principiis, nimirum Divinis literis, ea persequatur, quae alioquin ingenio humano incognita forent & impervia. Sed existentiae & unitatis Dei cognitio ingenio humano, disciplinis exculto, neque incognita est neque impervia: Ergo illam è dictis principiis non deducit, licet habitu non quidem Theologico sed Philosophico, deducere possit & quandoque deducat; sed potius, ut aliunde notam, praesupponit. Quibus ita ex ipsius contextus visceribus, ut loquuntur, monstratis, sponte suâ evanescit frivola illa tergemina particulae exclusivae TANTVM, majoribus quantumvis literis à rixatore facta repetitio.

Sed quum exclusivae huic particulae, iterum iterumque ostentatae, nescio quid magni momenti tribuere, & in illo TANTVM Socer Generque reperisse sibi videantur non quod pueri in fabâ, scrupulum hunc sibi eximi patiantur, quâso, & ad Lexica, ad vocis significationem perdiscendam remitti, haud indignè ferant. Illa scilicet viris summè Reverendis comiter ostendent & probabunt particulam tantum non praecisè exclusivam esse, sed aliquando aequipollere tō maxime, primario sive potissimum, quod Germanis est Allermeist. Nempè latini sermonis indolem, & communem loquendi rationem ita ferre, infinitis ibi demonstrabitur exemplis. Neque tamen quandoquidem cum Theologis res mihi est, ad leculares scriptores multum provooco, sed assertionis meae fidem facio, adhibita ipsius Augustanae Confessionis auctoritate. Etenim illa luculentum hujus rei exemplum suppeditat, quando in editione  
 Latina



Latina Articulo xx, ita loquitur : *De quibus rebus* (quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant, ut proximè antecedit) olim PARVM docebant Concionatores, TANTVM puerilia & non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates &c. Hic si vocem tantum, capias exclusivè, malè sibi constabit contextus. Nam si de vitæ officiis & operibus vocationis parum olim docuerint Concionatores Papistici, aliquid utique de iis docuerint. Quomodo itaque verè subjunxissent Confessores, tantum puerilia & non necessaria opera docuisse? Per exclusivam enim, tantum, illud parum quoque quod tamen eos docuisse conceditur, exclusissent. Ut ergo sibi constet Confessio, vocula tantum, non pro termino exclusivo habenda, sed ita accipienda est, ut significet, maximè s. potissimum. Atque hanc legitimam verborum A. Confessionis expositionem esse, ijs, qui forte negaverint, probabitur auctoritate authentici exemplaris Germanici, Imperatori in Comitibus prælecti, & ad quod ipsa aliquando Apologia, articulo nimirum secundo, provocat. Sic autem ibi tum secundum Chytræum, tum in editione Georgij Rauen, legimus. Davon (von rechten Christlichen Stenden vnd Wercken) man vor dieser Zeit wenig gelehret hat / sondern Allermeist in allen predigten auff kindische unnötige Wercke / als Rosenkrenze / Heiligendienste / Müntzschweigen / Wallfahrten / Gesetzten Fasten / Feiren / Brüderschaften / Indu gentien etc. getrieben. Hisce ita demonstratis oculisque expositis exoratum iri spero hyperaspisten Calovianum, ut non aliter particulam tantum in verbis Parentis mei accipiat, quam hic in A. C. accipiendam esse diffiteri nullo prætextu poterit. Et, si vel maximè demus, neque communem latinè loquendi indolem, neque seculares, neque Ecclesiasticos scriptores neque A. C. solidam hanc voculæ tantum, expositionem suppeditare, adhuc tamen nullius absurditatis iste Ca-





lixii, maligno morfu arrosus sermo, convinci poterit. Quid enim, obsecro, ita eum interpretari prohibet? Ideò, nimirum, affirmare Calixtum, quod Theologus tantum ex propriis sibi que peculiaribus principiis, nimirum Divinis literis ea prosequatur, qua alioquin ingenio humano incognita forent & impervia, quia reliqua quæ ingenio humano non sunt incognita & impervia, qualis inter alia est *existentia & unitatis Dei cognitio*, non tantum ex propriis sibi que peculiaribus, sed etiam è naturâ notis principiis probet, vel potiùs à Philosophis probata *presupponat*. Et sic quoque per vocem *tantum*, quæ tantopere impugnatur, non excludetur istorum quæ diximus attributorum Divinorum, è libro Scripturæ probatio, sed conjungetur potiùs cum probatione è libro naturæ accersita. Et verò rem ipsam atque officium Theologi (non quidem in arctissimâ significatione sumpti, qualem naturalem Dei cognitionem in Auditoribus supponere diximus) interdum exigere, ut ea quæ de Deo naturaliter innotescunt, ex Scripturâ probet, hoc ipsum Parentem meum clarè indicasse, mox ad Numerum 13, ubi μέγα Generi ψευδὸς detegendum erit, luculenter ostendam.

(7)

Mentem meam verbis satis perspicuis haud obscurè declaratam, quum intelligere noluerit propugil Calovianus, per calumniam asserit *Theologiam Calixti pro equipollentibus venditare hæc duo, aliquo modo ad fidem pertinere, & articulum fidei esse*. Addat velim Gener è Soceri Theologiâ *tò mixtum*, & salvâ res erit. Audivimus enim suprath. iix. D. Calovium articulos fidei non malè in *mixtos & simplices* distinguentem. Ista igitur *aliquo modo ad fidem pertinere, & esse Articulum fidei mixtum*, minimè verò *simplicem*, mihi demùm æquipollent. Ecce verò Lector, ipsissima mea, quibus usus sum, verba, & periculum fac,



fac, utrum illas quas obtrektor dedit, vel has quas ego posui æquipollentes, elicere inde valeas. *Falsum est*, scripsi ibi, *vel le Calixtum, quod talium cognitio ad fidem non aliquo modo pertineat; sive non sit articulus fidei, quod Deus sit, quod unus sit, infinite perfectus &c. sed hoc tantum indicatur, quod existentiæ Dei & quæ ibi (in Epitome) adducuntur attributa, non sint mera & pura fidei, sive ut cum D. Calovio loquar, non sint articuli fidei simplices sed mixti. Quis erit adeò hebes, ut ex hisce confestim non colligat, vel cœcutisse hinc Generum, vel calumniari voluisse?*

(8)

*Ista capita de existentiâ Dei, Unitate essentiæ Dei &c. non ALIQUO MODO ad fidem pertinere (h. e. ut clarius explicem, credi etiam propter auctoritatem Scripturæ, etsi aliàs sint *ἐπισηµα*) sed esse VEROS articulos fidei, est intulsa & inaudita novitas, atque absurditas. Velle autem novitium Theologum, cum quo pridem natum est arcanum hoc, nobis hætenus & majoribus nostris ignotum, per τὸ VERI appositionem, hunc *Fidei articulum* ab omni latiore significatione, ad strictissimam & in summo gradu acceptam, restrictum, hoc ipso declarat, quod paulò post disertè profiteatur; *Doctrinam de unitate essentiæ Divinæ VERISSIMUM MYSTERIVM esse*, quod & initio Numeri sequenti XIII idem repetit, his verbis; *Cum igitur certum sit*, (egregiè scilicet hætenus, si Dis placet, probatum) *doctrinam de Vno Deo, Fidei Christianæ VERVM articulum esse*, paucis de hoc MYSTERIO juxta *Symb. Apost. agemus*. Verùm discant velim Gener, ejusque follis & Socer è B. Gerhardo, Num. IIX citato, quid sit *verus articulus fidei*. Discant, quod ille, ut Gerhardus rectè docet, *non sit natura notus, neque colligatur ex natura notis, quod sit *ἠσὺν* non *ἐπισηµὸν**. *Verus articulus fidei, est specialiter à Deo revelata & lumini rationis impervia propositio, omnibus ad salutem cognitu credituque absolutè**

&



& quocunque casu necessaria. Tale quid est articulus Fidei verus & proprius, nec aliud, nisi pueriliter velimus æquivocationibus ludere. D. Gerardo & al. is subinitium th. iix citatis, addat quoque D. Stephanum Klotz, atque ex ejus Theologia Naturalis Disput. iiii. th. xvii, quid Mystrium atque verus & proprius articulus fidei sit discat. Sic autem ille Regius hodie Ecclesiastes. *Hic verò patet solutio illius, an Deum esse sit Articulus fidei?* Thomas p. i. q. 2. art. 2. resp. ad primum, ait, quod Deum esse & alia huiusmodi quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non sint articuli fidei sed præambula ad articulos, eo quod fides præsupponat cognitionem naturalem, siue gratia naturam, & perfectio perfectibile. Nos potius dicimus, articulum fidei vel **LAXIORE SIGNIFICATV** esse quamvis partem doctrinae Christianæ, quæ ad salutem cognitæ necessaria est, quo sensu **LAXIORE** scilicet certissimum est, quod sit articulus fidei Deum esse, vel notare aliquam Christianæ doctrinae particulam, quæ ad salutem non solum necessaria est, sed etiam unice & adequatè à revelatione dependet, nec aliunde cognosci potest, & dicitur fidei mysterium, quo sensu fortè Thomas dixit non esse articulum fidei, sed præambulum ad articulos. Iuxta hunc igitur etiam à Vittebergensibus approbatum Ecclesiæ Doctorem non quidem verus & purus, sed *laxiore* significatu articulus fidei erit de existentia Dei doctrina; & fidei mysterium dicendum erit illud, quod unice & adequatè à revelatione dependet nec aliunde cognosci potest. Atqui Deum esse non unice & adequatè à revelatione dependet, sed aliunde cognosci potest. Ergò.

(9)

*Distinctionem inter articulos mere aut pure fidei, & non mere & pure fidei, frustra hic obrendi quemadmodum pro autoritate tantum à Genere dicitur, ita quoque à me jure contemnitur, & iudicium hic relinquatur eruditis. E quorum numero*

Alber-



Albertum Gravverum nobis adstipulantem, & inter ea quæ sunt mera revelationis, & alia quæ non sunt mera revelationis, distinguentem thesi ix aduimus. Cæterum ratio quam pro assertione suâ adfert, quod nempe distinctio hæc cum verbis Calixti exclusivis constare nequeat, facile jam cessabit. Quid enim de particulâ tantum ego censeam, & quod illa hoc loco non sit pro exclusivâ habenda, superius Numeri Deutschmanniani sexti Castigatione, sufficienter, nisi omnia me fallunt, ostendi. Ego interim sic arguor: Qui ea quæ de Deo naturaliter nota sunt Theologum dicit missa facere, sive, rectius, presupponere ut tamen alibi probet doctrinam Thomæ docentis, etiam ista fide credenda in Scripturâ proponi, is non penitus credendorum numero objecta illa eximit, sed tantum pro talibus ea habet, quæ non sunt puræ & meræ fidei dogmata. Nunc vero Parens meus de essentiâ & unitate Dei, aliisque quæ de Deo naturaliter etiam nota sunt, dicit, Theologum ea presupponere, nec minus tamen cum Thomâ alibi, & in posterioribus quidem scriptis, statuit, ea fide quoque amplectenda proponi; Ergo. Et patet adeo sic, distinctionem inter articulos, mera aut pura fidei, & non mera aut pura fidei, me rectè, & ad Parentis mentem declarandam convenienter hinc attulisse.

(10)

Quod sibi Calixtus senior non constet, & atibi diversum doceat (ecce reum confitentem!) idque cum Hæreticis ac Novatoribus aliis commune habeat, impudens partim, partim malitiosa est cavillatoris assertio. Si hic sibi non constiterit Calixtus senior, oportet in posterioribus scriptis, eum diversum ab eo propter quod (immeritò licet & ineptè) reprehenditur docuisse. Faciamus

D

mus





mus itaque arrosa Epitomes verba, quorum sensus sic à nobis declaratus est, ut æquus lector in eâ expositione facile acquiescere possit, faciamus inquam nihilominus, minus congrua ea esse & errorem sapere, meminisse tamen debuisset calumniator, esse Epitomen è prioribus Parentis mei scriptis, ab Auditoribus qui è differentis ore eam exceperant, ipso neque sciente neque curante aut recensente editam. Si ergo in posterioribus scriptis (è quibus potius quàm prioribus doctrina & sententia alicujus æstimanda venit) *diversum docuit Calixtus*, quod hinc agnoscitur, quâ intemperie acti Gener Socerque, falso reputatum errorem, quem ipsi ab Auctore mutatum putant, non desinunt objectare & proclamare? Quo jure vitio vertunt, si Calixtus senior *alibi* ac in posterioribus quidem scriptis ab auctore ipso editis, *diversum* ab eo, quod ab ipsis perperam dictum esse existimatur, docuerit? En imprudentiam Generi Caloviani! Ipsemet porrò cum alijs calumniatoribus hoc *commune habet*, quod Calixtum Parentem meum, *cum Hereticis & Novatoribus alijs veritatem cælestem oppugnantibus* conjungit; cum iisdem quoque calumniatoribus hoc *commune* habet, quod in falsâ accusatione deprehensus, inconstantiam objicit illis, quos grandi se affectisse injuriâ, agnoscere debuisset. Nec ullius hili est quod hic assuit, *potissimum attendendum quid in propriâ sede in cursu Theologiae didactico veritas aliquis asserat*. Sic D. Georgium Calixtum in *Epit. Theologiae*, & D. Horneium in *Compendio Theol.* & *alibi* hanc doctrinam asseruisse. Dicat quæso Gener quare *potissimum attendendū* sit quod quis in cursu Theologiae didactico veritas asserat? quare non ejusdem sit valoris, quod in aliquâ copiosiore Disputatione aliquis asserat? An non in tali quoque Disputatione veritas agimus, etsi amplius quid etiam agamus? Quod

li





si porrò seriò loquitur Gener, quando addit *potissimum ab-  
surdum quid in propria sede aliquis asserat*, imprudens contra  
se ipsum omninò pronunciat. Nam in illâ ipsâ Disputatio-  
ne adeoque in illâ propriâ sede in quâ calumniæ materiam  
quæsiuit Socer, paucis Thesisibus interjectis, in continuata e-  
jusdem tractationis serie, D. Horneius mentem suam è Tho-  
mâ sole clarius exposuit, sicut in Examine meo pag. 40 cuius  
ob oculos posui. Iudicet nunc Lector quàm se hîc turpiter  
dederit, *vanissimus Soceri hyperaspistes.*

(II)

Et Latina intelligo nihilominus quàm Gener Calovianus  
ea intelligit; & illa D. Meisneri verba intellexi, eorumque  
partem ideò tunc adduxi, quod indicarent *Deum ut naturali-  
liter notum SUPPONI.* Nam & hoc verbis Consensus Calo-  
viani, in Parente notari ac *Reijci* existimabam. Nec volo dis-  
simulare, Consensus Caloviani accusationem hoc loco, pro-  
pter brevitatem ejus, me non ita potuisse penetrare, sicut ex  
Generi Commentario nunc intelligo. Etiam hoc non satis  
penetrare poteram, quorsum concisa illa Caloviani Consen-  
sus verba tenderent, *Philosophum quidem non posse ignorare Deum  
esse, æternamque illius potentiam & divinitatem, à salvandis ta-  
men id credendum esse, ac proinde teneri Theologum quoque ex Scri-  
pturâ sacrâ hæc probare.* Sciebam enim Parentem non tantùm  
nullibi negasse, quod *existentia Dei ejusque unitas & alia at-  
tributa salvandis etiam fide Divinâ credenda* proponantur, &  
à Theologo *ex Scripturâ* quoque depromantur: ex adverso  
noveram potius, idem quoque ipsum alibi indicasse & appro-  
basse. Ut *malitiosè suspicax* hîc sit ipse Gener, quando scri-  
bit me partem verborum D. Meisneri *rescasse* ideo quod D.  
Calixto *directè contradicant.* Falsum est hoc postremum.

D 2

Non





Non contradicunt Meisneriana, quod quidem præsens nego-  
rium attinet, Parentis mei sensibus, ut mox patefiet. Et  
quum non contradicere ea, statuerim ego tunc & adhuc hodie  
statuam, quo metu absterritus ab integris Meisneri verbis  
producendis abstinuerim? quum ne nunc quidem vel tantil-  
lum ab iis Parentis mei doctrinæ timere necessum habeam,  
sed eam cum illius sententiâ ex asse convenire existimem.  
Quæ verò partem duntaxat eorum verborum tunc produ-  
xerim, id modò indicavi, & loquitur illic verbum SVPPRO-  
NITVR, majoribus literis excusum. Sed nunc ex abundan-  
ti ostendam Socero Generoque, aut potius omnibus à cavil-  
landi studio remotis hominibus, Parentem quoque meum  
nihil ab illâ Meisneri doctrinâ alienum aut ei contrarium do-  
cuisse, nempe, quod ea quæ naturaliter de Deo cognoscun-  
tur, *fide Divinâ etiam credenda*, sint proposita. Plura verò  
ad mentem D. Horneii ulterius illustrandam afferre super-  
vacaneum fuerit, siquidem verba ejus, de quibus paulo an-  
te, Responso ad Num. 10. egi, & in Examine meo pag. 48  
sunt recitata, in perpetuum confundent falsos accusatores.  
Parentem igitur quantum attinet, adducit ille Disputat. de  
Veritate Vnicæ religionis Christianæ, habitâ anno MDC XXXIII.  
de hoc ipso negotio ejusdem quem D. Horneius in Disput.  
Theolog. aliquoties jam laudatâ, citavit, Thomæ, Scholasti-  
corum quasi Principis, doctrinam. Nempe quum de neces-  
sitate revelationum supernaturalium, segmentis sexto, septi-  
mo & octavo egisset, venit in rem præsentem segmento no-  
no, cujus maximam partem, eamque huic instituto servien-  
tem hîc subijcio. Sic habent ibi verba: *Liber subjungere,*  
*que hac de re scripsit Scholasticorum Princeps Thomas Aquinas.*  
*Summâ contra Gentes ostendit, necessarium fuisse, ut qua de Deo,*  
*Deique cultu, & virtutibus, integritate, morum naturaliter cogno-*  
*sci*



sci possunt, nihilominus per revelationem proponerentur. *Se-* lib. 1. c. 2.  
 querentur, inquit, *via incommoda, si huiusmodi veritas solum-*  
*modo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod pau-*  
*cis hominibus Dei cognitio inesset. Secundum, quod illi, qui ad*  
*prædicta veritatis cognitionem pervenirent, vix post longum*  
*tempus pertingerent. Tertium, quod investigationi rationis hu-*  
*mana plerumque falsitas admisceretur, propter debilitatem intelle-*  
*ctus nostri in iudicando, & phantasmatum permixtionem. Et*  
*ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissi-*  
*mè etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, &*  
*præcipuè quum videant à diversis, qui sapientes dicuntur, di-*  
*versa doceri. Inter multa etiam vera quæ demonstrantur, im-*  
*misceretur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed*  
*aliquà probabili vel sophisticâ ratione asseritur: quæ interdum*  
*demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei fixâ*  
*certitudine ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.*  
*Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ra-*  
*tio investigare potest, fide tenenda præciperet: ut sic omnes de*  
*facili possent divina cognitionis participes esse, & absque dubita-*  
*tione & errore. Sanè quàm difficulter animis mortalium impr-*  
*matur, & quàm facile elabatur doctrina aliqua sublimior & ad*  
*mores inculpatos faciens, testis est experientia. Hinc Plato li-*  
*bro decimo de repub. & Tullius in Somnio Scipionis revelationes*  
*adducunt, Plato quidem Eris redvivi, Tullius Scipionis somniant-*  
*is, quod intelligerent præcepta etiam virtutum moralium absque*  
*adminiculo & auctoritate revelationis firmiter aut efficaciter*  
*humanis mentibus vix imprimi posse. Idem Thomas alterâ Sum-*  
*mâ id ipsum eodem fere modo tradidit, quum scripsit, Necessari-*  
*um est homini accipere per modum fidei non solum ea, quæ sunt su-*  
*pra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt. Et*  
*hoc propter tria. Primo quidem, ut citius homo ad veritatis di-*

2 Secunda  
 qu. 2. art. 4





*vina cognitionem perveniat. Secundo, ut cognitio Dei sit commu-  
 nior. Tertio propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus  
 divinis est multum deficiens. Cujus signum est, quia Philosophi de  
 rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis er-  
 raverunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubi-  
 tata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina  
 eis per modum fidei traderentur quasi à Deo dicta, qui mentiri  
 non potest. Ecce, Lector, Parentem meum Thomæ doctri-  
 nam suam facientem & approbantem, docentis nempe  
 eorum quæ de Deo naturaliter nota sunt veritatem oportu-  
 isse etiam per viam fidei, fixâ certitudine hominibus exhiberi:  
 Item, salubriter Divinam clementiam providisse, ut ea etiam quæ  
 ratio investigare potest, fide tenenda præciperet. Rursus; homi-  
 nem per modum fidei percipere non solum ea quæ sunt supra ra-  
 tionem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt; talia à  
 Deo hominibus per modum fidei quoque proponi. Et hanc  
 ipsam doctrinam reperit Parens parte I Responsi Mogun-  
 tinis redditi th. LXXIII initio. Verba ejus superius sub fi-  
 nem num. X citavi & hic denuò appono. Nempe divina  
 peculiaris revelatio de mediis ad salutem nostram facientibus sup-  
 ponit, quæ ex lumine naturæ sive de Deo & attributis divinis, sive  
 de præceptis moralibus cognosci possunt; & cum his etiam ita com-  
 plicatur, ut sine eis plenè exponi nequeat: quin & imbecillitati  
 humanae subvenitur & consulitur, dum per Scripturas explicantur  
 & inculcantur illa, quæ absolutè quidem sine Scripturis cognosci  
 possent, à plurimis tamen, quæ est eorum in excolendo naturæ lumi-  
 ne negligentia, absque Scripturarum ductu & adminiculo non co-  
 gnoscerebantur. Th. LXXIV in eodem porro Responsio de pro-  
 fesso ostendit, quomodo virtute hujus principij, Quicquid  
 Scriptura tradit certissimè verum est, etiam illis quæ aliunde  
 quam ex Divinâ peculiari revelatione nota sunt, assensus qui  
 fidei*



81

fidei est, præbeatur. Atq; ex hisce in aprico ita nunc positis, utculenter denuò pateſcet, imò & evaneſcet pudèda vanitas totius calumniæ Calovio Deuſchmannianæ: pateſcet, in-tempeſtivè nimis objeciſſe generum, *objecta ſcientia cum objectis fidei*, à DD. Calixto & Horneio *confundi*, quæ illi diſtingere noverunt antequam Gener Calovij ovo excluderetur; pateſcet inani operâ & ſine aliquâ læſione mei cum porrò ſcribere,

(12)

*Eandem, & non aliam Dn. D. Calovii, & omnium orthodoxorum eſſe ſententiam, quæ pariter librorum Symbolicorum ſit doctrina.* Dn. D. Calovium cum ſuis, qui ſoli tales eſſe volunt, *orthodoxis*, ſuo abundare ſenſu ego quidem permitto, indulgere tamen eidem nequeo ut DD. Calixti & Horneii, illius Parentis hujus Præceptoris quondam mei doctrinam & ſententiam pro lubitù invertat, atque iisdem diverſum quid ab eo, quod publicè docuerunt & profeſſi ſunt, affingat. Libros verò Symbolicos quæſtionem, *utrum ea quæ de Deo naturaliter innotescunt, DEBEANT etiam fide Divinâ credi, propter auctoritatem revelantis Scripturæ?* hanc inquam quæſtionem dirimere libros ſymbolicos tantum abeſt, ut eam ne quidem attingant. Et, ſi vel maximè dicti libri affirmativam decernerent, nondum tamen illa quæ de Deo naturaliter nota ſunt *veri & veriſſimi* articuli fidei, imò *mysteria*, efficerentur. Etenim non omne quod è Scripturâ probatur, *Mysterium* eſt. Quiſ enim, ut alia nunc taceam, Patriarcharum & Regum Iudaicorum reſgeſtas, Genealogiam Chriſti, itinera Pauli *veros aut veriſſimos* articulos fidei, imò *mysteria* fidei vocare audebit, etſi hæc omnia è ſcriptura innotescant & probentur?

Pateſcet præterea falſa & frivola quoque eſſe hæc ſe-

(13) Sè





Si Calixtus didicerit, Deum unitrinum, & unum in Trinitate, Trinum in unitate confitendum esse, Decretum Nicæna synodi, vel objectum art. 1. A. C. in hoc passu ex aquo verum & sine ulla DV. BITATIONE credendum dici, doctrinam Ecclesia de Unitate Essentia Divina VERISSIMUM MYSTERIVM esse, Philosophicam notitiam de Deo & fidem Ecclesia toto genere differre &c. facile nobis in omnibus consentiet & falsam sententiam parentis sui missam faceret. Quam me vult missam facere Parentis mei sententiam, vel ignoravit, vel sese intellexisse dissimulavit imbellis hyperaspistes. Et, quod solet contingere ejus similibus, ut dum vitare volunt quæ putant vitia, in contraria currant, ipse inauditâ hætenus absurditate nunc vociferatur, doctrinam Ecclesia de unitate essentia Divina VERISSIMUM esse MYSTERIVM. Repetit th. XII, sub initium; Doctrinam de Vno Deo fidei Christiana VERVM articulum esse; unde etiam statim de hoc MYSTERIO juxta Symbolum Apostolicum se promittit acturum. Quis ante novum hunc Hæresificem, & nunc quoque Mystericem, ita lectus vel auditus est delirare? Quid sibi vult involutis illis suis verbis, quando dicit Philosophicam notitiam de Deo (existentiâ nimirum & unitate Dei, de talibus enim inter nos agitur) & fidem Ecclesia toto genere distare? Fides certè Ecclesiæ de Deo Unitrino, uno in Trinitate, & Trino in unitate, toto calo differt à notitiâ de Deo Philosophicâ; sed de eo neque est quæstio inter nos, neque quisquam cui sinciput sanum, illud negabit. Fidem Ecclesiæ de unitate & existienciâ Dei, à notitia horum è Philosophiâ & ratione haustâ, toto cælo differre; hoc erat quod nobis clarè & disertè ostendere debuisset Theologus Paradisiacus Deutschmannus. Cur verò palpabilem hanc distantiam non disertius exposuit? Intera de VERISSIMIS quæ  
hic



hic fingit MYSTERIIS, videat Lector quæ supra th. iix & ix ex Gerhardo & alijs attuli, imò verò lance æquitaris ea expendat Gener Calovianus, & facile nobis in omnibus consentiet, ac falsam sententiam Soceri sui missam faciet. Ego denuo produco & istis modò quoque adjungo D. Stephanum Clotzium, in cuius Pneumaticæ seu Theologiæ Naturalis Disp. iiii, th. xvi, leguntur quæ subijcio. *Ad Tertium Resp. Fieri posse ut unum & idem sit simul objectum scientiæ & fidei, si sciatur per evidentem rationem, & credatur propter Divinam revelationem: ipsa quidem fides formaliter non est scientia formaliter, quia fides non ducit conclusiones à medijs naturaliter notis, sed ex revelatione & autoritate dicentis Dei, etsi vel maximè ea quæ credit non evidenter nota habeat. Verùm illud quod est scibile h. e. subjectum alicujus scientiæ ex hoc, potest esse credibile, h. e. objectum fidei ex alio puncto; ubi notari potest, quod fidei objecta duum sint generum. Quædam sunt simpliciter nota, quæ omnem rationem superant & sunt fidei MYSTERIA, de quibus verum est quod dicitur, non cognosci per rationem, quæ fide creduntur. Quædam verò sunt nota natura, credibilia secundum quid, quæ etsi sint in scripturis revelata, & ad salutem cognoscere sint necessaria, ita tamen se habent, ut ratio aliunde per sua principia possit aliquantulum in eorum cognitionem devenire. Et ita se habet illa conclusio, quod sit Deus. Quamvis hic potior semper ratio sit illorum quæ fides, quàm quæ ratio hic dicitur. In gravibus enim & serijs tentationibus omnes sumus vel Epicuræi vel Stoici, confirmandus igitur animus confirmatione dictorum (Scripturæ) quæ testantur & esse Deum, & providam rerum humanarum curam eundem gerere, ut M. alicubi Th. ait. Et Numero sequente xvii ita pergit. Hinc verò patet solutio illius, An Deum esse sit articulus fidei? Thomas Par. i, qu. 2. art. 2, resp. ad primum, ait quod Deum esse & alia hujusmodi quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non sint articuli fidei sed præambula ad*

E

articu-



articulos eò quod fides præsupponat cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & perfectio perfectibile. Nos potius dicimus articulum fidei vel **LAXIORI SIGNIFICATV** esse quamvis partem doctrina Christiana, quæ ad salutem cognitu necessaria est, quo sensu certissimè est quod sit articulus fidei Deum esse: vel notare illam doctrina Christiana particulam, quæ ad salutem non solum necessaria est, sed etiam unicè & adæquatè à revelatione dependet, nec aliunde cognosci potest, & dicitur fidei **MYSTERIVM**, quo sensu fortè Thomas dixit, (Deum esse) non esse articulum sed præambulum ad articulos. Iuxta D. Clotzium itaque existentia Dei, (de unitate essentiæ Dei & similibus attributis, idem ferendum est iudicium, concedente hoc Præsidente nostro Disp. suæ th. xi in fine) est quidem *Articulus fidei*, sed *laxiore significato*, minimè autem verus articulus fidei, seu verissimè *mysterium*. Non has igitur modo memoratas, sed illas potius Christiana doctrinae partes, quæ unicè & adæquatè à revelatione dependent, nec aliunde cognosci possunt, fidei **MYSTERIA** dici, rectissime ille statuit & pronunciat. Et hæc est verò & vera doctrina. Deutchmanniana autem, est nova & mustea insipientia, ex ignoratâ vel neglectâ verè & propriè dicti articuli fidei definitione profecta. Ad talem scilicet duo ista, quæ in allatis D. Klotzj verbis rectè sunt connexa, requiruntur; primò ut sit veritas ad salutem cognitu planè necessaria; deinde ut aliunde quàm ex supernaturali revelatione cognosci non possit. Sed istis, in aprico nunc positis, & testimoniis exceptione majoribus corroboratis, plura non addo, reliquas tamen exceptiunculas, antequam manum de tabulâ tollam, expensurus.

(14)

Pergit verò Noster, quod attinet D. Horneium illum non san-  
 ctum loco citato, sed etiam aliàs ea, (nempe notitias de Deo natura-  
 les) pro suppositis (fidei) venditare *Comp. Theol. lib. 1, cap. 11*; adeoque  
 ex constanti sententiâ estimandum venire; & postulat eorum contex-

tum



sum inspicere, atque sic rem omnem putat fore in vado. Fiat autem omnino postremum illud, & cupio ipse ut introspiciatur *totus contextus*. Id enim si fiet, sine dubio sese quoque offerent verba Horneji abs me citata, quæ calumniam Soceri Generique sufficientissimè confundunt. Consistunt etiam quàm optimè hæc duo; & quod Horneius illa quæ de Deo naturaliter nota sunt *presupposita* fidei vocat; & quod simul *articulos fidei* aliâ quadam ratione (*laxiore significato* ut D. Clotzium modo loquentem audivimus) cum Thomâ haberi posse docet. Nec quicquam juvat Disputatorem quod porro tricatur, & urget, *Horneium* (loco abs me objecto) *magis ex aliorum sententiâ, quàm ex suâ movere objectionem* (Quod si quis dicat, quæ &c.) & respondere cum Thomâ. Quid enim familiarius, quàm introducere alium objicientem, quando è propriâ sententiâ ipsi aliquid intendimus movere | dubij ? Accedit, quod Horneius ad objectionem non tantùm respondeat cum Thomâ, sed *rectè* quoque id quod ex Thomâ affert, eum pronuciasse dicat. Quo ipso etiam cadit proxima priori, nive frigidior exceptiuncula; nempe *Horneium* ibi *magis quid dici possit, quàm quid verè dici debeat proferre*. Vtrumque enim facit Horneius; nimirum & posse id quod apud Thomam extat, ad motam ab eodem objectionem dici, & verè ita *dici debere* admittit, quia Thomam *rectè* ita sentire adfirmat. Sed magis hæc sunt clara & perspicua, quàm ut expositione indigeant, nec, si Latina Deutschmannus intelligeret, in dubium ea vocasset, aut in litis materiam vertisset. Ejusmodi igitur nugæ, coram Eruditis recitasse, est refutasse.

Quod porro ex Horneio citat *sciæm PROPRIE eorum tantùm esse, quæ creduntur, & non sciuntur*, item *articulos sciæi propriè esse, qui sic in verbo revelantur, ut aliunde & ex natura non innotescant*, hoc nullum omnino sapit errorem; sed est ista Hornei *epicrisis*, non Thomæ tantùm, sed Gerhardi quoque, Gravveri, Klotzij





& quorumvis saniorum Theologorum recta & fundatissima doctrina, à quâ Socer Generque Novatores inscitè & temere recedunt. Fastigium autem impudentiæ (utinam non & malitiæ!) imponit vitiligator, quando ita concludit: *Ex quibus (supra integrè à me adscriptis & hætenus excussis) & aliis (quæ verò & ubi sunt illa alia?) apparet, nullam vel D. Horneio vel D. Calixto factam (à Socero) esse injuriam.* Nimirum agunt Socer Generque prorsus sicut scriptum est Proverbiorum xxx, 20; *Sic est via mulieris adultera, comedit & tergit os suum, & dicit, Non sum operata iniquitatem.*

(15)

Supereft ultima exceptio, intacta nobis haud dimittenda. Dixeram ego Examini mei pag. 48. *Alterum quod monendum duxi illud erit; si ad eum modum libros symbolicos versare, sententias mutilare, & quidvis pro lubitu vel inserere, vel aliis sublatiis alia substituere liceat, tunc nihil esse facilius quam quemvis convincere quod contradicat istis libris, non quidem ut ab initio à suis auctoribus sunt confecti, sed quatenus à malevolis sunt interpolati & corrupti.* Ista tunc, & hic, & passim, deprehensis manifestis citatorum textuum depravationibus, necessitate adactus monui. Respondet verò ad illa conubio obstrictus defensor Calovianus verbis quæ subjicio. *Ad alterum monitum, saltem dist. inter mutationem & mutilationem sensus & textus: hujus propter illius illustrationem & pleniorum explicationem, mutatio nonnunquam necessaria, sed illius vel mutatio vel mutilatio neutiquam concedenda.* Theologia rerum & mysteriorum est, non autem verborum. Sunt ista obscura & intricata. Quantum tamen licet assequi, hoc vult; *sensum librorum Symbolicorum non licere mutare aut mutilare, etsi textus sive verba ad sensum plenius exprimendum, quandam interdum mutationem admittant.* Quâ de re ut dicam quod sentio; usu apud eruditos receptum esse, ut ulterioris illustrationis ergo, citata aliorum verba mutant quidem, sed ijs relictis, sua, di-  
versis



versis tamen literis expressa, inserant, equidem non nego: at hic sub æquali characterum tegumento fraus latet. Nam primò, Lectori incauto persuasum ivit fallacis Consensus architectus, insertas suas nœnias, esse librorum in margine citatorum sententias. Deinde, ista additione *sensum* eorum quos diximus librorum, non *illustravit*, non *plenius explicavit*, sed *mutavit* imò corruptit. Quod si fortè Soceri studium ita excoecavit Generum, ut videre ea non possit, ad eorum provoco iudicium, qui saltem *Latina intelligunt*. Illi re expensâ ultrò fatebuntur, jure meritoque ob toties violatum sensum librorum, qui reverenter, à Theologo præsertim, haberi debebant, D. Calovium à me esse reprehensum. Agnoscent iidem ex re & vero, in Præfatione ad Lectorem, Consensus Examini præmissâ, me scripsisse, quod compilaverit D. Calovius hinc inde *corrasa* librorum *Symbolicorum*, nec horum tantum, sed Præfationum quoque & Appendicum verba, sæpius, nec coelum nec terram tangentia, iisq; sua ipsius eodem characterum genere, ne dolus pelluceat, audacter subinde tanquam *oxy-mum* inter olera, ad latiore proventum, interseruisse. Quin imò interdum eorum qua Profiteatur & doceat, locis in margine citatis, ne *ipsi* quidem exstare, sed meros esse Calovianos *Dictatus*, qui pro librorum *Symbolicorum* verbis & sententiis venditentur. Sed indignæ sunt allatæ à promacho Caloviano affaniæ, quibus excutiendis plus perdat temporis. Neque enim magis idoneum Soceri sui hoc loco, quam in nupero conflictu rusticano sese præstitit *hyperaspisten*, ubi similiter sicut *fama publica fert*, potiores & ipse plagas abstulit. Iure igitur ipsi à me redditur versiculus: *Causa patrocinio non bona, peior erit*. Quod reliquum est, Socero Generoque, atque omnibus eorum similibus pro ipsorum insectationibus & Doctorem nostrorum ac veritatis odio, bonam sanioresq; mentem optamus, non solum ut illorum laboribus in posterum æquiores sint, sed etiam ut eos intelligere velint.

Sed quorsum me Theutomaniana *Camarina* traxit? Con-

E 3

stitue-





stitueram equidem alterum quoque primi articuli A. C. membrum, in considerationem vocare, & compendiosâ expositione illustrare; verum quum nugæ recens nati Censoris scriptio- nem prolixior, quam animo constitueram, extorserint, ne Tuâ, candide Lector, patientiâ abuti videar, hîc sisto gradum, oportunitate loco quæ reliquâ sunt reservans.

## ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Quicumque particularis Ecclesiæ Doctor, sibi soli sumit potestatem non tantum sententias quas nullum unquam Univer- sale vel particulare Concilium, nulla tota hodierna particula- ris Ecclesia improbavit, *Reiiciendi*, sed earum assertores com- munionem etiam suâ submovendi, aliosque ut idem secum fa- ciant, quibuscunque potest modis adigit atque impellit, is spi- ritu schismatico se agitari ostendit.

D. Abrahamus Calovius hoc facit: Ergo is ipse se spiritu schismatico agitari ostendit. Major est manifesta.

Minorem probat ejus Pseudonymus Consensus, in quo, (ut pauca è multis adducam exempla) *Reiicit* (1) quod peccatû Originis formaliter sit privatio (2) quod anima humana hodie- que creetur à Deo. (3) quod ad articulos fidei non pertineant notiones divinæ, proprietates & relationes, quomodo & à se invicem, & ab essentiâ modaliter, sive virtualiter, sive alio modo distin- guantur. (4) quod Filius Dei in propriâ hypostasi ante incarnationem non apparuerit. (5) quod Christus secundum humanitatem non sit omni- præsens. (6) quod imago Dei fuerit donum supernaturale. (7) quod humana Christi natura extra Sacramentum minimè jungatur fi- delibus quo ad substantiæ eorum peculiarem approximationem &c. &c.

Has sententias ostendat Calovius, vel ab universali vel à particu- lari quodam Concilio, vel etiam à totâ hodiernâ aliquâ particulari Ec- clesiâ rejectas, earumque assertores communionem esse submotos. Quod

si autem id facere nequeat, agnoscat se spiritu schismatico, tunc, quum monstrosus istum Consensus eniteretur ab- ortum, esse agitatum.

F I N I S.



AB: 134867

ULB Halle 3  
002 420 732




1347




























FRIDERICI VLRICI CALIXTI  
S. TH. D. ET IN ACAD. IULIA  
PROFES. ORDIN. SENATVS ECCLES.  
GVELFERB. C.

# CASTIGATIO

ABSVRDÆ NOVITATIS  
QVOD  
ESSE DEVM

eundemque esse  
VNVM  
sint  
*Verissimi Fidei articuli*  
imò  
*Mysteria Fidei,*  
Assertæ

D. JOHANNES Deutschmann Theologo  
& Professore Wittebergense

DISPVATIONE  
DE

## DEO VNVO

Habita Wittebergæ Mense  
Iunio proximè elapso.

1680

HELMESTADII,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO  
excudit HENNINGVS MULLERVS  
ACAD. TYPOGR.

CID ID C LXVII

